

QK.182.

23

# EXERCITATIO IVRIDICA

QVAESTIONEM

*Quando depositario  
competat Ius retentionis  
in deposito?*

CONTINENS

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAE S I D E

D. FRID. GOTTLIEB ZOLLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPITVL. CVRIAЕ  
IN PROVINCIA SVPREMAE NEC NON FACVLT. IVRID.  
ASSESSES. ET ACADEM. DECEMV.

IN AUDITORIO ICTORVM

D. XXX. SEPTEMB. M D C C L X X V.

AD DISCEPTANDVM PVBLICE PROPONIT  
AVCTOR ET RESPONDENS

FRIDERICVS GVLIELMVS MÜLLER

SCHLEVSINGA · HENNRBERG.

---

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.







Satis mihi cognitum est atque perspectum, quam magnum periculum faciam, si tractatione quadam in publicum prodire, et leuissimas operas meas doctissimis magnorum virorum laboribus adiungere coner; inter omnes enim constat, nec ullum fere Iurisprudentiae nostrae punctum occurgere, quod sagacissimorum iuribusque consultissimorum interpretum doctrinis, et tractationibus non sit ita illustratum atque exhaustum, ut ne doctissimis quidem aliquid superesse videatur, quod commendatione egeat. Diu igitur haesitavi, quam mihi ad tractandum proponerem materiam, quae tum laborum et virium meorum imbecillitatem non supereret, tum etiam non sit ita trita atque decantata, ut nec quicquam restet, de quo quaedam non dicam noua, sed modo



non ab omnibus pertractata, in medium proferri possint. Tandem benevolentia, qua viri graues atque docti iuuenilem auctorem amplecti solent, eorumque indulgentia fretus, argumentique copiositate et varietate adductus, quaestionem quamdam Iuris dubiam *quanda depositario competit Ius retentionis in deposito?* viribus meis conuenientissimam putavi, cum non modo in hac pertractanda materia varios huius scopi affines titulos innectere, optima mihi detur facultas, verum et celeberrimi Ichi ad eam perscrutandam tractationibus facillimam aperiant viam. Quorum virorum vestigia sequuntur, quaedam compillari posse censui, quae non omnino inepta atque superflua videantur, quaeque simul ut legibus Academiae satisfaciam, dissertationis loco ad disceptandum possint proponi. In elaborando argumento ipso huncce potissimum ordinem sum sequutus, ut depositi materia peracta et ad hanc illustrandam necessariis quibusdam quaestionibus et differentiis pertractatis Ius re tentiois a reliquis in primo conspectu fere similibus Iuris nostri titulis discernendo, usum Iuris retentionis in Saxoniae Electoratu receptum indicando, demonstrem, quales requirantur actus, si depositario in regionibus, quas patrias colimus, ius depositum retinendi, competere debeat.

Lectores vero huius dissertationis humanissimi ut errores commissos non ex severitate grauitateque indicum puniant, sed ea benevolentia indulgentiaque, qua semper consueti sunt, emendare velint, et quamdam dent veniam iuuenili aetati, id est, quod ardentiſſime oro rogoque.

### §. I.

*Depositum quid? et quoduplex sit?*

Depositum a ponendo nomen deducere, omnes consentunt DD. nec probatione eget. Plurimis vti et Heineccio illust.

illust. ita definire placuit, quod sit *contractus re initus*, quo quis alteri rem mobilem ita gratis se custodiendam tradi patiatur, ut quandocunque placuerit deponenti, eadem species restituatur.

Qua quidem ex depositi definitione cognoscimus H E I N E C C I V M eorum sententiae adhaerere, qui statuunt, modo rem mobilem, quae de manu in manum dari potest, rem vero immobilem plane non in depositum dari posse, sed statim, vt ex asterisco §. 217, Tit. *deposito*. vel contra doctrinae eius ff. annexo clarius patet, in mandatum transmutari. Satis tamen adhuc dubium videtur, an haecce H E I N E C C I sententia omnime certa, et ab omni exceptione libera sit habenda, cum non modo leges ipsae, sed etiam quotidianus usus ipsis obstat videantur. L. enim II. ff. de per. et com. rei vend. L. 5. §. custodiad, commod. 2. §. 1. et L. 3. probant rem immobilem omnime vti mobilem deponi posse. Idem B E R G E R in *Oec. Iur. Lib. III.* Tit. 2. §. 2. de *deposito*. et B A C H O V. ad T R E V T L. in. disput. 26. de *deposito*. satis accurate docent. Semper est finis habenda ratio, ob quem res quaedam siue sit mobilis siue immobilis deponitur. Traditur aut ad custodiad zur Verwahrung, Acht darauf zu haben, aut ad administrationem zur Verwaltung und Besorgung. Res ad custodiad tradita qualitatem depositi retinet an mobilis an immobilis sit, species enim rei non mutat contractum, idem est finis eademque obligatio. Hanc depositarius custodire et suo tempore reddere tenetur, vti et in illa ad custodiad et restitutionem rei depositae obligatur. Sin vero rem quandam alter alterius administrationi iubet, in mandati obligationes transit, nec interest, an sit mobilis an immobilis. Depositarius ex contractu mandati tenetur siue e. g. fundum siue numerum quendam paratae pecuniae ad administrationem suscepit. Ergo non modo immobile quoddam sed et mobile mutatur in mandatum, si res curae alterius mandata administratione egit. Respiciendum est igitur ad finem,



an detur ad illam custodiendam an ad administrandam. Priori  
 casu semper est depositum, quia non modo omnia depositi  
 requisita adsunt, sed et finis, ob quem res in depositum dari  
 solent. Posteriore casu non dubito, aut in mandatum aut in  
 contractum innominatum transmutari. Multis haec non pla-  
 cuit sententia, qui putarunt, rem immobilem in depositum  
 dari omnino non posse. Haud rariora tamen exstant deposi-  
 tarum rerum immobilium exempla, quorum inueniuntur in  
 cap. I. de sequestratione clem. vn. eod. l. 7. §. fin. qui  
 satisdare cog. L. vn. C. de prohibit. sequest. pecun. et  
 fere quotidie in foro nostro euenit, vt immobilia den-  
 tur in depositum, et si non depositum sed sequestrationem  
 nominare soleamus. Mutata vero verba non mutant  
 speciem contractus, Nam ex ipso H E N E C C I I ff. Tit. depos.  
 vel contra §. 227. sequestratio etiam est depositum, nec tam  
 facile ob mutatam aliquam qualitatem sit transmutatio contra-  
 eius, et ex eo, quod in foro nostro non depositum sed se-  
 questrum dicamus, nihil solidi concludi potest, praesertim cum  
 sequestrum, recipiens etiam res immobiles, sub generali no-  
 mine depositi contineatur; et si ex D. Leg. 5. §. 4. de praesc.  
 verb. et L. i. §. 12. ht. potest esse mandatum, annexam habens  
 legem custodiae, nihil obstare videtur, quin etiam possit esse  
 depositum, annexam habens legem mandati. Praeter haec et  
 satis constat, res quasdam immobiles e. g. horreum non mul-  
 tum curae, si ita dicere licet, desiderare, vt statim eiusmodi  
 depositum in mandatum debeat transire. Praeter haec in l. 24.  
 D. depos. aliud quoddam inuenitur exemplum, quod probat,  
 ne quidem depositi contractum transmutari, si quidam alteri  
 paratam pecuniam non clausam ad depositum tradat, nullis-  
 que signaculis munitam modo annumeret, et si a depositario  
 statim ab initio de hac deposita pecunia sibi usuras stipulauerit.  
 In regula usurae contractum depositi in mutuum transmutant,

at

at GERHADT NOODT, qui hunc locum in *Lib. de pactis et coniur. pag. m. 719.* allegat, ex epistola depositaria, *Depositions-Schein L. TITII depositarii ad SEMPRONIVM deponentem scripta*, vbi in fine eius epistolae ait: *contra bonam fidem et depositi naturam esset, usurpas ab eo desiderare temporis ante moram, qui beneficium insuscipienda pecunia dedit; si tamen ab initio de praestandis usurpis conuenit, lex contractus seruabitur*, probat, ne quidem tunc depositum in alium contractum transfire, quia partes sic inter se conuenerint, et depositum permanere voluerint. Conuentio enim partium contractui nomen dat, et est seruanda, nisi legibus contradicatur, quod probat PAVLVS l. 43. D. de pactis, inquiens: *quodsi in contrahendo exceptum aliquid fuerit, id seruari debet.* Similiter VLPIANVS l. 23. D. de reg. iuris, scribens de culpa in contractibus praestanda, haec ita, ait, *nisi si quid nominativum conuenit vel plus vel minus in singulis contractibus nam hoc seruabitur, quod initio conuenit, legem enim contractus dedit.* Latiore igitur probatione egere non videtur, quod accidentia contractus contractum ipsum non mutant, qua propter et hoc de contractu depositi statuendum censeo. Maxime enim in hoc respiciendum esse puto ad voluntatem partium earumque conuentionem quamlibet designauerint contractum, an depositi an mandati, et ex ista conuentione obligantur. Haud parum enim interest ratione praestationum, an de re immobili depositum an mandatum contractum esse dicamus. In deposito enim depositarius tantam culpam latam et dolum, in mandato vero mandatarius non modo ad dolum latamque culpam, sed etiam ad letiern et leuissimam praestandam tenetur. Multo tamen accurasier mihi videtur depositi definitio, si illum ita struerem velimus, quod sit *contractus realis*, quo alicui res gratis custodienda datur, hac lege, ut quandocunque placuerit deponerit, eadem species restituatur. Haec definitio omnibus depositi speciebus

con-



conuenit, quarum varias esse patet. Diuisio depositi ratio-  
 ne formae in *regulare* et *irregularare* primum locum obtinet.  
 Quod ad depositum irregularare pertinet, teste BERGERO in  
*Oec Iuris, Lib. III. T. 2. §. 9.* est *contractus*, quo pro conditione  
 obiecti vel usus vel dominium transfertur, atque adeo id agitur, ut  
 res deposita finito usu vel in specie vel in genere restituatur. At  
 Doctores irregularare plane non esse depositum statuunt. Quan-  
 do vero hoc statuendum sit, paulo clarius distinguendum pu-  
 to. Depositum irregularare vel *expresse* vel *tacite* contrahiri, nul-  
 lae dubitationi expositum est. Expressus contrahitur, si aut  
 deponens depositario, statim ab initio conuentionis faculta-  
 tem dat, re deposita vtendi, aut si depositarius ex post facto  
 deponentem, ut sibi ea vti liceat, rogat *l. 9. §. ult. de reb.*  
*credit.* Tacite vero contrahitur, si pecunia nec clausa nec obs-  
 gnata traditur, sed solummodo depositario annumeratur.  
 Expressus contractum depositum irregularare statim ab initio seu  
 commodati seu in mutui obligationem transit *l. 10. de reb. cred.*  
 nisi partes speciatim inter se conuenerint, ut nihil sciebat  
 depositum permaneat, quia talis contractus ordinarie est con-  
 tra depositi naturam. Tacite vero si contractum sit depositum  
 irregularare, nec quicquam obstat, hoc omnino depositum  
 permanere, quia nihil in eo est, quod depositi naturae  
 obstat, aut illam mutare possit. Huic diuisione proxime ad-  
 stare videtur alia quaedam nempe in *depositum in specie* sic di-  
 cendum et in *sequestrum*. Depositum in specie sic dictum tunc  
 locum habet, cum res litigiosa ab uno simpliciter deponitur.  
 Hoc Iedi iterum diuidunt in *voluntarium* seu ut alio nomine  
 ab effectu nominari solet, in *simplex*, et in *necessarium* seu  
*miserabile*. Voluntarium Iuris interpretes hoc esse censem,  
 quod quis proprio motu nulla de eo pendente lite nullaque  
 necessitate fatali urgente alteri ad custodiā tradit, necessa-  
 riū vero seu miserabile eiusmodi depositum esse censue-  
 runt,

runt, quod necessitate fatali coactus e. g. ob periculum tumultus, incendi, ruinae, naufragii alter alteri custodiendum iubet *L. 1. §. I. depos.* In hoc, si perierit dolo seu culpa depositarii, iure antiquo in duplum tenebatur, quod apud nos, quamvis non nulli disceptent, adhuc est in usu, cum legislator Saxonius hanc poenam dolosae inficiacionis in ord. recogn. ad *T. XVI. §. 4.* expresse approbare voluerit, in illo modo in simplum obligatus est.

*Sequestrum est custodia rei litigiosae seu compromissu partium seu decreto iudicis ex iusta causa alicui demandata, quorum alterum si per compromissum partes inter se consentiunt ut res de qua lis penderit, alicui in depositum detur, voluntarium vid. STRUVVS de sequestro, alterum si decreto iudicio interveniente invita parte alicui res litigiosa custodienda sub obligatione rationum reddendarum mandatur, necessarium seu iudiciale dicitur teste ZECH. de sequestro publ. Nullum vero ordinarie a iudice constitui potest sequestrum, quod in *L. vn. C. de prohibit. sequest. pec.* sequestratio iudicialis est prohibita. Admittitur tamen apud nos, si iusta praecedat causa, ob metum fugae, dilapidationis, armorum, mortis, ob odium coniugis, aliasque iustas magnique momenti causas *d. l. 7. §. ult. qui satisd. cog. l. 21. §. ult. D. de adpell. l. ult. C. de ord. cogn.* Singularis quidam reperitur casus in *Can. 14. X. de sponsal.* quo Pontifex pueram ob metum pudicitiae in sequestrationem, eum in finem, ut si duobus fidem de matrimonio contrahendo dederit, illius iura, quae sunt potiora per alterius fallaciam, quam accedens carnalis copula efficit, non inuertatur, custodiendam honestae matronae committit. Ex his quid et quadruplex sit depositum, satis apparere videtur, neque, ne minus*

B

fco-



scopum extendam, plura addere licet. Nam declarandi locum  
esse posso, quomodo depositum ab aliis se discernat contractu-  
bus, quod in sequentibus perspicuum faciam.

§. III.

Quomodo contractus depositi differat ab aliis contractibus?

Variae dantur contractuum species, quae illis, qui prima  
iuris principia tractant, incognitae esse nequeunt. Prima eo-  
rum diuisio est in nominatos et innominatos, illi certum  
habent nomen, et nominatam producunt actionem, hi re-  
gulariter nomine et actione nominata sunt destituti. Nomi-  
nati iterum diuidi solent in veros vel quasi, priores consensu  
vero, eoque iterum vel expresso vel tacito, hi autem si-  
eto sive presumto ex opinione Doctorum nituntur. Dico  
ex opinione, in legibus enim hoc non inuenies, sed quasi  
contractus, quos hoc nomine insignire solent, sunt obliga-  
tiones, quibus Iustinianus ob aequitatem eundem ef-  
fectum tribuit, quem habent contractus sua natura.  
Eundem errorem mihi committere videntur, qui con-  
tractus stricti iuris et bona fidei statuunt. Quomodo enim  
quasi contractus existere potest, in quo bona fides deficit, cum  
haec praecipuum sit requisitum omnium conventionum et  
actionum humanarum. Prouenit haec opinio ex falsa ratione,  
quam sibi interpres ex stricto iure et bona fide singunt. Stric-  
tam ius est lex conventionis, quae principaliter normam iu-  
dicandi et decidendi efficit, bona vero fides comprehendit na-  
turalia contractus, ad quae iudex, etiamsi nihil dixerint par-  
tes, respicere debet. Optime hoc demonstrat V. L. P. I. A. N. V. S.  
L. II. §. 1. de act. ent. Et imprimis sciendum est, inquit, in  
hoc iudicio id demum deduci, quod praestari conuenit, cum  
enim

enim sit bona fidei indicium, nihil magis bona fidei con-  
gruit, quam id praestare, quod inter partes actum est, quod  
si nihil conuenit, tunc ea praestantur, quae naturaliter insunt  
huius iudicij potestate.

Contractum nominatorem, qui veri habentur, quatuor  
numerantur, alii litterales, alii verbales, alii consensuales alii  
reales. Inatis equidem videtur haec diuisio, cum consensus  
sit fundatum omnium contractuum, et hinc omnes con-  
tractus dici debeant consensuales. Sed distingue inter funda-  
mentum et id, quod rationem constituit contractus. Omni-  
bus contractibus inest consensus, ast is non semper efficit con-  
tractus perfectionem, sed ut aliud quoddam accedat necesse  
est, et ab eo contractus sortitur nomen, hinc imperator I. de  
oblig. contractus fieri quatuor modis, aut re, aut consensu  
aut verbis aut litteris, probat. Ad reales. Mutuum, com-  
modatum, depositum, atque pignus esse nouimus, et quo-  
modo hi contractus nominati reales inter se differant, potissi-  
mum qua ratione depositum a tribus reliquis discernatur, iam  
differendi locus est. Specialissimum et maxime principale de-  
positi differunt, quo ab aliis omnibus contractibus cognosci  
potest, in eo consistit, ut regulariter semper depositum modo  
ad nudam custodiam detur, neque usus nec dominium cum  
eo in depositarium transferatur, quod in reliquis contractibus  
secus se habere cognoscimus. In mutuo enim ita traditur res  
fungibilis i. e. quae usu consumuntur, ut fiat accipientis, ab eo  
que tantumdem in eo genere, quantitate et bonitate restitu-  
tur l. 3. et tot. Tit. ff. et Cod. de reb. cred. Sufficit ergo in mu-  
tuo, et plane expletus est contractus, si modo idem rei ge-  
nus in eadem quantitate et bonitate, qua tradita est, restitu-  
tur creditori. Multo vero aliud tenetur depositarius; in  
deposito enim eadem species non deterior facta et in eadem  
bonitate et quantitate restituenda est, neque sit accipientis, sed



semper in deponente dominum permanet, et ex eadem causa, quia res mutuo data fit accipientis, salvo mutui contractu usurae dantur ex stipulatione vid. *Recess. Imp. de an. 1654.* adeoque, ut nonnulli putant, praesumantur. *Resol. LAVTERBACH.* p. 493. et seqq. ast ex contractu depositi nullas in regula peti usuras iam ante monimus.

Commodatum, germanice *Anlehn*, quo rei, quae videntur non consumitur, usus, idemque certus et gratuitus ita conceditur, ut eo finito, non deterior facta, in specie restituatur, *§. 2. I. quib. mod. re contrah. oblig.* eo magis cum deposito conuenire videtur, quia eadem species, non deterior facta, restituenda est, magnum tamen et horum reperitur discrimen. In commodato facultas re libere videnti fruendi in commodatarium transfertur, quod in deposito haud fieri et ipsius naturae contrarium esse, iam supra monitum est, ut et commodatum, finito demum hoc constituto usu a commodatario regulariter repeti potest, nisi commodans inopinatam necessitatem, re sua videnti, probare possit; contra vero haec depositum sine via conditione et casu fortuito praeeunte, quan- docunque placuerit deponenti, valide repetitur. Neque minus ac in contractu mutui commodatum per pacta adiecta honorarium quoddam salua eius essentia stipulari patitur, quod vero, si in deposito stipuletur, statim hunc contractum in ali- um nempe in locationem conductionem transmutant, et si aliud quoddam sibi dare promiserint partes, in contractum in- nominatum, do ut facias, transiret. Et in culpae praesta- tione multum interesse constat inter commodatum et deposi- tum, eommodatarius enim ad omnem etiam leuissimam cul- pam praestandam tenetur etiam iure Saxonico vid. *3. Landrecht 5.* sed depositarius modo quoad latam obligatur arg. *1. 5. §. 2.* *Commod.* quia commodati contractus praeципue commodatarii gratia, depositum vero gratia deponentis initur.

Pari

■ ■ ■

13

Pari modo et depositum a pignore *Pfandrecht*, quo res a debitorum creditorum in securitatem crediti traditur, et ab eodem soluto debito salua in specie restituenda est, facile distinguitur. Pactum pignoris non modo hanc ob causam celebratur, ut creditor securus reddatur de credito, sed et potissimum eum in finem a debitore dari solet, ut certam accipiat pecuniam, igiturque omne commodum et incommodum apud debitorem et creditorem in hoc contractu pari passu ambulant, quapropter et utrique contrahentes pari obligatione sibi inuicem tenentur, et ex dispositione legum modo leuem sibi culparum praestant *§. vlt. Inst. quib. mod. re contrah. obligat. L. 5. §. 2.. D. commod. L. 13. §. 1. D. ht. vbi conf. GERHARDT. NOODT. Probabil. Lib. I. Cap. 4.* Si vero dolo creditor possidere desir, tenetur in id, quod interest, *L. 5. C. de pign. att. vel contra.*

Neque debitor pignus repetere potest, antequam penitus satisfecerit creditori *L. 1. §. 6. D. de oblig. et att. L. 9. §. 3.* nisi creditor illo abutat *L. fin. pr. D. ht.* Licet quoque, si ita convenerint partes, pactum Antichreos contractui adiicere *L. II. §. 1. l. 8. D. in quib. causs. pign. vel hyp. tac. lib. 14.* de usuris, et nonnunquam tacite adiectum praesumitur, si creditori, usuras sibi stipulanti, res frugifera obligata sit *L. 8. D. supra cit.* Satis vero palam iam antea fecisse putamus, omnia haec in deposito locum non habere, nonquam enim depositum, quod iam ex eius natura elucet, in cuiusque contrahentium securitatem datur, quia nullum, ut in contractu pignoratio mutuum debitum et creditum in deposito existere potest, cessante igitur causa, cessat effectus. Obque eandem causam non pari sibi partes inuicem tenentur obligatione, quia omne commodum est apud deponentem, ergo et hic recte ad omnis culpare praestationem depositarius vero, qui omne incommodum sentit, modo quoad latam obligatur, et si quidem



ex connexitate rerum, ut supra demonstratum est, contra depositarium, si dolo rem possidere desit, non modo ad simulum, sed et quodammodo ad duplum restituendum, agatur, in pignore vero, et si dolo perierit, modo ad id quod interest agi potest L. 5. C. de pign. ast. vel contra. Pariter a voluntate deponentis pender, quando depositum repetere velit, pignus vero non, nisi soluta causa pignoratitia i. e. extinctio debito redditur. Datur quidem pignus ordinarie ad solam custodiā, quod et in deposito fieri iam explanauimus, tamen ex huius custodiae est discrimen habendum. In deposito enim depositarius rem depositam ex contractu propter utilitatem deponentis custodire obstringitur, pignus vero quisque creditor non sola legis necessitate coactus sed ob securitatem crediti sibi asservat. Et in eo maximo differt depositum a pignore, quod hoc sit species alienationis, 1. 7. Cod. de reb. al. non alien. in illo vero semper dominium permanet apud deponentem. Ut vero proprius accedam proposito, iam his depositi potissimum cognatis contractibus peractis, eorumque ab hoc paullummodor discrimine palam facto, quid sit ius retentionis, breuiter demonstrabo.

#### §. IV.

##### *Ius retentionis quid sit?*

De hac materia maxime inter se dissentunt DD. Sunt alii, qui retentionem modo compensationis speciem esse censeant, igiturque et omnis compensationis effectus retentioni tribuere velint, qua propter et alio nomine compensationem temporariam vocant. Haecce vero sententia iam satis a viris doctissimis refutata est, ita ut nihil addere liceat. Alii inueniuntur, qui retentionem ad materiam de pignoribus referri volunt, cui sententiae et illust. HEINECCIUM in doctrina π. Tit. 2. Lib. XVI. §. 215. adhaerere perspeximus, ubi retentionem *ius pignoris*,

gnoris, in re aliena constitutum, quam ex iusta causa detinamus,  
 donec nobis satisfactum sit definit. Ut vero eo facilius perscruti-  
 tari possimus, quando retentio sit illis pignoris, vel minus,  
 pauca adhuc de natura contractus pignoratitii, de quo iam ante  
 quaedam commemorauimus, aducere liceat, et tunc quae  
 ad retentionem pertineant, paululo pensitemus.  
 Pignora regulariter contrahuntur mutuo consensu alteru-  
 trum partium, nec cogitari potest pignus, quod inuita altera  
 parte sit constitutum, non modo ex ea ratione, quia utrique  
 contrahentes omne commodum et incommodum inter se di-  
 sertum habeant, sed quoniam omnes contractus reales consensu  
 partium nitantur. Pariter probatione non eger, oppignorari  
 posse omnes res sive sint mobiles sive immobiles, si modo in  
 commercio sint, et debitoris propriae; et ex his elucet, omnes  
 ac singulos pignus contrahere, qui rerum suarum domini sunt,  
 et qui contractus inire in legibus expresse non prohibentur.  
 At haec omnia in retentione secus se habere videmus. Nun-  
 quam retentio exercetur ex consensu mutuo partium, quia est  
 species vindictae priuatae creditori contra debitorem negligen-  
 tem seu aere alieno obrutum competens, lege approbatam  
 semperque iuuto creditore exerceri quotidianus docet usus.  
 Porro omne commodum est apud retinentem, quia securita-  
 tem, antea ipsi denegatam, priuata sibi reddit autoritatē. Prae-  
 terea pignus est contractus realis, omnibus, qui rerum suarum  
 veri domini sunt, de quaue re commercio non exempta, con-  
 trahere permisus, quia consensu partium nititur; retentionem  
 vero ii modo et de illis rebus valide exercent, quibus leges  
 expresse permittunt. Itidem retentio requirit creditum mutu-  
 um et debitum, idque certum, liquidum, et cum re, quae  
 retinetur, quodammodo connexum, pignus vero nisi demum  
 re oppignorata tradita finitur, neque connexitate rerum opus  
 est. Nec minus in quibusdam pignorum speciebus, apud

Germa-



Germanos cum oppignoratione rei cuiusdam et dominium in  
 creditorem simul transferri testatur Excell. RICCIUS de dominio  
 pignor. germ. in creditorem translato, quod et potissimum in Sa-  
 xonia valere videmus ex I. P. Saxon. L. II. art. 24. Contra  
 vero haec nunquam in retentione dominium quoddam trans-  
 ferri dicitur, quia nullus propria autoritate et inuitu altero se  
 dominum rei cuiusdam reddere potest, vti et DD. constanter  
 inter se consentiunt, rem oppignoratam, si debitor debitum  
 restituere nolit, praemissa admonitione de soluendo debito fa-  
 cta, valide alienari posse, quae vero alienatio in retentione  
 nunquam sibi vindicat locum LUDOVICI de L. retent. vii et res  
 retenta nunquam loco solutionis assumi potest, quod tamen  
 in re oppignorata, si de eo conuenient partes, omnino fieri  
 licet. Nulla ex his ratio colligi potest, qua probari possit, re-  
 tentionem esse ius pignoris, cum nec in ipsa re, nec in effe-  
 ctu pignus cum retentione conueniat. Retentionem igitur ita  
 definire mallem, quod sit *remedium legitimum*, quod creditor res  
 debitoris vel illi debitas penes se existentes ob impensas vel aliam lege  
 approbatam causam tamdiu retinet, donec ipsi satisfactum, est LAV-  
 TERBACHIVS in diff. de retentione §. 2. LEYSERVVS in Med.  
 ad π. Spec. 175. Multo retentionis naturae haec confor-  
 mior videtur definitio, cum nunquam retenta quadam re ius  
 pignoris constitutum esse, recte dici possit, quia, si ius mihi  
 constitui debet, id non propria et priuata auctoritate inuitu al-  
 tero fieri potest, sed consentiente altera parte, quod vero in re-  
 tentione omnino non existere posse, ex superioribus facilime ap-  
 paret. Cumque retentionem remedium legitimum definitius,  
 tacite sub vniuersali nomine remedii legitimi ius comprehendi-  
 tur, etsi non ius pignoris nominari possit. Certo quidem re-  
 spectu concedi posse non dubito, illum, qui rem retinet, qua-  
 si ius pignoris sibi acquisisse, sed quasi ius non est ius verum  
 ipsum. Qua igitur ratione retentio a iure pignoris sit digno-  
 scenda,



scenda, et quid ex plurimorum sententia ius retentionis esse dicatur, ex praemissis apparet, iam vero, ut eo clarior fiat sententia, etiam in lucem producamus, quando ius retentionis a compensatione sit distinguendum.

#### §. IV.

*Quando retentio a compensatione differat?*

De hac materia ample controvèrtitur inter DD. sunt alii, vt iam antea notauiimus, qui retentionem modo compensationis speciem esse putant, igiturque et parum differentiae inter has duas iuris positiones statuunt; ex qua I<sup>C</sup>torum quorundam opinione orta quoque est diuisio in compensationem temporalem et perpetuam, quarum alera retentionem, altera compensationem in specie denotare volunt. At viri doctissimi, quo potissimum GERH. NOODT, LEYSERVM in *Medit. ad ff. BEYER in Post. Digest. h. t. vti et HEINEGGIVM in doct. ff.* referri volumus, satis copiose demonstrarunt, nullam compensationem ad certum modo tempus locum habere posse, contra vero omnem compensationem debere esse perpetuam, cum sit species tollendae obligationis vel in totum vel pro parte. semel sublata autem obligatio, non reuiuiscit.

Iam vero differendi locus est, qua ratione retentio a compensatione sit discernenda. Lubenter concedo, compensationi retentionem ita esse cognatam, vt in primo conspectu parum inter se differre videatur; re vero paulo penitus penetrata, tum in materia tum in forma multum esse discriminis, facile intelligimus. Non inepte igitur actum erit, specificas harum differentias enarrandi, simulque demonstrandi, quando vtraque sibi vindicet locum.

Retentio quid sit, ex antecedentibus satis apparet, nec longius prosequendi fas erit. Compensationem contra mutui  
C debiti

debiti et crediti inter se contributionem definiunt D. l. i. de  
 compens. Nulla vero retenta, quadam re debiti mutui et cre-  
 diti inter se fit contributio, sed modo in securitatem crediti,  
 donec nobis de eo satisfactum sit, retinetur, et eadem spe-  
 cies, soluta causa debendi, restituenda nec solutionis loco talis  
 retenta assumenda est. Specialissimum omnino, quo digno-  
 scuntur, hoc esse videtur discrimen, quod in compensatione  
 res, quae vtrinque debentur, eiusdem generis et qualitatis  
 esse debeant L. 4. Cod. de compens. ius vero retentionis in re  
 diuersa prossus ab ea, quam alter debet, natura exerceatur  
 LEYSER in Med. ad ff. Spec. 175. Scimus etiam, ex princi-  
 piis iuris Romani praecipue ex L. 10. pr. de compens. de delictis  
 priuatis mutuis, i. e. quoad satisfactionem primatam compen-  
 sationi locum esse. Recte enim negligentia cum negligentia  
 L. 10. de compens. furtum cum furto §. 10. eod. dolus cum dolo  
 L. 36. de dolo malo compensantur. In eo consentit et ius  
 Canonicum, ubi et ex L. 39. solet. matr. c. vlt. X. de adult. de  
 mutuo adulterio compensare licet, quamque sententiam et ini-  
 foris, ubi ius commune receptum est, obtinere fatetur  
 CARPOZOVUS in quart. crimi. 97. n. 45. nisi si talis com-  
 pensatio in praeiudicium fisci. Denegatur vero in Electoratu  
 Saxonia, ubi iniuriarium conuentus, si vicissim se iniuriatum  
 dicat, in reconventionem er separata actionem reicitur vid.  
 CARPOZOV. D. f. Forins. Elect. Sax. Conf. 8. P. I. LEYSER  
 in Med. ad ff. Spec. 173. ubi inueniuntur praeiudicia BERGER  
 in Orc. Iur. Ltb. III. T. XV. Hocce est compensationis pro-  
 prium, neque unquam de delicto retentio exerceri potest.  
 Nullum enim obiectum adest, quo retentio sibi locum vindic-  
 care possit.

Quae ad rem retinendam requirantur, supra demonstrauimus,  
 ut vero eo melius differentias compensationis cum re-  
 ten-

tentione inspiciamus, iam quae ad compensationem exercen-  
dam desiderentur, peragamus.

Valde de hoc inter se DD. dubitant, in eo tamen omnes  
consentunt, ut debita, quae compensari queant, debeant esse  
 a) *debita propria*, non enim sufficit administratio, cuiusmodi  
competit Senatu ratione tributorum, ex quo consequitur,  
cuiem, cui a Senatu mutuum debetur, minus compensare pos-  
se cum tributis, quae Senatus tanquam administrator recipit.  
Pari modo tutor, proprio nomine conuentus, id, quod de-  
betur pupillo, compensare aduersus debitorem nequit *arg. l.*  
*16-18. §. 1. et l. 23. de compens.* ibique vid. D. M E N C K. iur.  
contr. dec. 7. contr. 8. nec tutori, ob debitum pupillare con-  
vento, proprium debitum inuitio creditore in fauorem pupilli  
compensare licet D. M E N C K. *ibid. contr. 9.* b) *mutua*, ex  
quacunque causa proficisatur, et si quis iurauerit se solutuim,  
tamen recte compensat *l. 20. §. 2. D. de statu lib. I. 19. D. de lib.*  
*causs.* nec hoc conscientiae repugnat, quia compensare etiam  
est soluere *l. 67. D. de verb. signif.* et contra fiscum *l. vlt. ff.*  
*cfr. FICHTNER. de compens.* cum Fisco statim vero cessat  
compensatio contra Fiscum, si debitorum stationes sint diuer-  
sae v. c. in Saxonia id quod debetur stationi steurali non com-  
pensatur cum Camerali *C A R P Z O V.* *Def. Eleff. Sax. Conf. 8.*  
*BERGER. Oec. Iur. Lib. III. Tit. 15.* c) debita esse debent  
eiusdem quantitatis, quod adhuc satis dubium est DD. cum  
enim debita sint inaequalia, compensatur modo, quoad suffi-  
cient. d) *pura*, hoc non necessarium requisitum esse videtur;  
cogi quidem debitor non potest ad compensandum, si debi-  
ta non ex eodem die debeantur, alt si virique in eo consen-  
tunt, valide compensatur, et si debita non sint *pura* *C A R P-*  
*Z O V.* *Conf. 8.* e) *certa et liquida* i. e. quae, qualia et quanta  
sint; quae quidem circumstantia *I. Ciuiili ex tempore l. 46.*  
*§. 4. de iur. fisc. l. vlt. Cod. de compens.* hodierno iure autem,



sertim Saxonico ex modo probandi *Decis. 2.* aestimatur, quaque ratione capiendam esse *Conf. 8. p. I.* affirmat BERGER. in *Oec. Iur. lib. III. T. 15.* vbi, dum dicitur, exceptionem compensationis semper debere esse in continentia liquidam, nec alias sine discrimine processus attendenda, respicitur non tam ad modum probandi, quam tantummodo ad tempus, ita ut in processu ordinario, itemque summario in specie, exceptio compensationis quidem non minus per testes aut delationem iurandi, quam per instrumenta fieri liquida possit, secus ac in executiuo; ceteroquin in omni processu intra terminum Saxonum debeat verificari *vid. CARPOV. Def. For. Elec. Sax. P. I. Conf. 8. def. 13.* Haec sunt, quae ad compensationem necessario requirantur, iam et pensitemus, quae de his in retentione posserit adhiberi. Tria modo desiderantur ad rem retinendam, nempe ut debitum sit certum, liquidum et cum re, quae retinetur, quodammodo connexum, plura vero ad compensationem requiri audiuiimus.

Et hanc ob causam retentioni compensationi maxime aequalis videtur, quod quisque compensans retinet, sed haec retentioni multo ab illa differt, quam retentionem in sensu strictissimo dicamus. In illa enim compensans cum possessione tam naturali quam ciuili et dominium sibi acquirit retentae rei, in hac vero modo possessionem naturalem adipiscitur. Praeterea haec non modo est quantitatum sed etiam specierum, illa vero modo quantitatum *I. 18. D. de pign. act. I. 4. C. ht.* Accedit, quod retentioni proprie sit, quandoquis res alterius penes se habet, usque tum de eo, quod sibi debetur, satisiat *I. sin autem §. 5. D. rei vind.* Compensatione autem legitime facta res alterius esse desinunt, et propriæ esse incipiunt *§. 30. et 39. Inst. dn act. STRVII Syntag. I. Civ. Exerc. XXI. Lib. XVI. T. II.* Et in eo maxime differunt, quod retentioni multo sit pinguior compensatione *svrvv, ibid.* Multis enim in casibus

sibus admittitur retentio, vbi compensationi locus non reliquitur l. 8. §. 1. de pign. aet. plura enim retinere possumus, quam compensatione vel petere *Consil. Marpurg. Vol. 4. Cons. 29. n. 108. et 11.* exclusaque compensatione non statim exclusa censetur retentio *Gratian. discept. forens. Tom. 2. C. 356. n. 27.* quia retentioni magis fauetur quam compensationi *Nou. 139.* ibique GOTTHOFRED. Neque minus ad id respiciendum est, quod compensatio si species solutionis, et in foro Saxonico vim solutionis habeat vid. CARPZOV, *Def. Elec. Sax. P. I. Conf. 8. def. 1. 2.* Retentio vero est species vindictae priuatae *P. II. Conf. 25. def. 20. eiusd. CARPZ.* neque vnquam res retenta solutionis loco assumi potest, quia modo in securitatem crediti res retinetur, et si de redito satis factum est, salua in specie est restituenda. Ex his satis apparere censem, quando retentio a compensatione sit discernenda; mitto igitur haec, et quando iuri Retentionis locus sit, transsecundum puto.

### §. VI.

#### *Quando iuri retentionis locus sit?*

Antequam ad specialiores casus, in quibus retentioni locus relinquitur, prouehamur, vniuersalia quaedam de ea praemittere liceat. Quoties debitum, cuius nomine species retinetur, est liquidum arg. V. 4. §. 3. de re iud. i. e. in continentibus ex instrumento garantigionato aut confessione partis aduersae probari potest, toties ius retentionis indistincte locum habet, quoties autem eiusmodi debitum est illiquidum i. e. per testes demum aut iurisurandi delationem probandum, toties ius retentionis non obtinet, donec ab aduersa parte cautio idonea per fideiussores aut pignora praefatur arg. l. 5. de flat. lib. vid. BERGER in *Oec. Iur. Lib. III. T. 15.*

Cum retentio sit species vindictae priuatae CARPZOV *Def. For. Elec. Sax. P. II. 25. d. 20.* omnis vindicta vero diligentissi-

◆ ◆ ◆

Time est coercenda, LLatores casus, et obiecta in quibus retentionem exercere fas est, expresse determinarunt, ne alter alteri iniuriam faciat iniustum. In omni causa, ob quam rem retinere mente meditamus, iustum est probabilem causam adesse oportet *L. 12. de vi et vi armata.* Pro iusta vero causa omne debitum habetur, quod certum et liquidum a parte retingentis et quodammodo cum obiecto retento connexum est. Ita si debitum qualificatum, omnino leges retentionem de eo exercere permittunt *L. 4. §. 3. de re iud.* Quapropter et Aduocato acta retinere licet, donec ipsi de honorario satisfiat **G A I L I U S lib. 2. Obs. n. 5. et L A V T E R B A C H de retent.** *§. 21.* Parimodo conductor rem conductam recte retinet, *L. 12. de vi et vi armata.* si conductor in rem conductam expensas fecerit, easque liquido probare possit, si vero locator conductori quid ex alio capite debet, ius retentionis nullo modo locum habere potest *L. 3. §. 19. L. 20. de acq. vel amitt. poss.* Tamen et competit retrouenditori, usque ipsi quoad sumitus satisfiat *L. 2. 7. Cod. de past. inter emt. et vend. vti et L. un. C. pignus, soluto pro quo obligatum fuit debito, propter aliud debitum etiam chirographarium retainere, debitorum permitit BERGER in Oec. Iur. lib. 11. Tit. 5. quod tamen, ut fieri possit, ex analogia iuris debitum non solum liquidum sed et proprium requiritur vid.* **L E Y S E R Med. ad ff. Spec. 191.** Neque minus recte retinet debitor debitum, antequam ipsi apocha in formula consueta tradatur *L. 1. de epochis publicis.* **L E Y S E R in Med. ad ff. Spec. 175.** ubi praeiudicia. Nec obstant Leges uxori, si soluto matrimonio in bonis mariti retentionem exercere velit, donec ipsi dos restituatur **LEY SERI Med. ad ff. Spec. 110.** vti et competit marito ob impensas in res dorales factas *L. 5. pr. D. de impens. in rem dot. fact. quo iure et recte atiutur fideicommissarius et legatarius,* usque dum ipsi caueatur **LEY SER in Med. ad ff. Spec. 145.**

Hi



Hi sunt casus generales, in quibus creditor rem quamdam in securitatem crediti retinere licet; cum vero scopus noster principalis de eo cogitet, quando depositarius depositum retinere possit, iam demonstrandi locus videtur, an ex principiis iuris Romani depositum sit ita qualificatum, ut retentionem admittat, quandoque ex Iure hodierno communii depositario liceat.

§. VII.

*An depositi qualitas Iure Romano Ius retentionis admittatur,  
quandoque ex Iure nostro hodierno communii licitum sit?*

Iure Romano inexpiable fuisse crimen, de negando deposito modo cogitare, testatur: Isaac Casaub. *leđ. Theocrit. p. 85.* et viri doct. ad Iuuen. *Sat. XII. v. 13.* ita ut legibus XII. tabb. cautum esset, ut omnis depositarius, qui depositum reddere noller, actione in duplum possit conueniri. Parat: *leg. Mos. et Rom. tit. §. 6.* quasi sic nec manifestus *l. 13. §. 1. D. depos.* Postea vero praetor, ut iam supra notatum est, relecta deponenti condicione furtiva *D. l. 13.* distinxit quidem intersimum et miserabile, nihil tamen minus depositario omnem compensationem, deductionem et dol exceptionem contra deponentem denegavit *L. pen. C. d. paf. C. ult. §. 1. Cod. de compens.* Ius vero nostrum hodiernum commune favorabilius est depositario, et quosdam expresse exemit casus, in quibus omnino depositario tum compensatione tum retentione contra deponentem ut licet. In praecedentibus iam notauimus, in omnibus debitibus, cum re; quae retineri debet, connexis, admitti retentionem. Ex hoc fluit principio, ob impensis in rem depositam factas, tanquam debito cum deposito maxime conexo, recte ut posse depositarium retentione contra deponentem BERGER *Oec. Iur. Lib. III. T. 2.* ibique *L. 23. ff. et l. penult. C. depos. STRVV. Synt. I. Cit. Exer. 21. 23.* ita ut ei, qui non deductis impensis rem restituit, nullum aliud remedium competat, quo earum restitutionem consequi possit *l. sumus*



48. verb. nec a domino peti possunt, quia retentio ob impensas ex sola aequitate concessa est possidenti *L. 203. de R. I.* Nunquam vero ob aliud debitum peregrinum, non domesticum depositum denegari potest *L. fin. C. de compens. L. penult. C. depos.* Pari modo et sequester, rem apud se depositam recte retinet, quae tamen ex sententia DD. semper est species depositi, si manifestus eius dominus sequester sit *L. 15. et 31. f. 7. depos.* et si alias arbiter rem litigiosam adiudicare sibi nequeat. Contrarium quidem hoc videtur sequestro, tanquam depositi speciei, de quo supra desiderauimus, ut semper dominium maneat apud deponentem, tamen cum legem contractus det, *L. 23. de reg. iur.* aut per voluntatem partium ipsarum ob iustas certasque causas fieri potest, vt in sequestrum cum custodia et dominium transferatur, e. g. tempore belli tumultusque, si sequester eius sit conditionis, vt ipsi obseruantia debeatur, quo magis existimandum, vt res salua permaneant, aut per decrenum iudiciale dominium transferri potest, si tantas in rem sequestratam *supinus* fecerit, vt fere impensa cum pretio sequestrata rei pari passu ambulent. Ex iisdem rationibus nihil obstat videtur, etiam tunc retentionem sibi vindicare locum in deposito, si deposito tacite et eventualiter pignus inest, et si enim quidem, vti et de sequestro demonstrauit, in deposito regulariter nec dominium pignus, sed sola custodia transferatur *L. 1. pr. depos.* tamen non nunquam ex circumstantiis pactisque adiectis apparer, voluisse partes eventualiter dominium transferre, vtpote, si deponens depositario claris verbis facultatem vtrandi deposito, si vellet, concessit *L. 10. de reb. cred.* vel pecuniam non obsignatam depositum *L. 31.* Locati, vel usurpas stipulatus est *L. 26. f. I.* Pignus etiam tacite ac eventualiter deposito inesse posse, LEYSER in Spec. 176. ex Lege 27. depos. verbis: *sub titulo depositi in cautionem contulit*, demonstravit, quod et STRV in Synt. I. Ciu. Exer. 31. palam fecit. Nondum quis

quis alteri in praesens obligatus est, sed tamen futuram praenuidet obligationem, atque securitati eius in casum, si quid illi debiturus sit, prospicere cupit. Quapropter apud illum pecuniam seu aliam deponit rem, nulla pignoris facta mentione, ita tamen ut ex verbis vel factis non obscure colligi possit, securitatem depositarii simul eventualiter intendi. Non dubium videtur, quin hoc casu pignus adesse deberet, in quo consti-tuendo voluntas magis quam verborum conceptio inspicienda est L. 9. C. quae res pignori obligari. Nec probatione eger, futurae quoque obligationi pignas accedere aut potius eam praecedere posse L. 5. pr. de pign. Pari modo, quia aequitatis causa retentio datur l. 48. de R. V. L. 51. de cond. ind. iund. leges depositario depositum retinere permittunt ob aliud commodum sive utilitatem, quae occasione rei ab eius detentore domino obuenit vid. L. 7. §. 2. de reb. cor. qui sub tut. L. I. Cod. si alien res pign. l. 14. et 16. C. de praed. et al. reb. min. l. 17. in fin. de hered. petit. l. 23. §. 1. de cond. indeb. Vti et ob damnum, quod ex re, quam tenet, alicui contigit, res deposita recte retinetur l. 8. de inc. ruin. naufrag. l. 7. §. 2. L. 9. §. 1. 23. d. damn. inf. aut quod ipsi imminet l. 8. §. 1. de pign. aff. l. 5. §. 1. ut in poss. legat. vid. STRVV. Syntag. Iur. Ciu. Exer. XXI. Lib. 16. T. 2. ibique IOH. PETR. MOLIGNAT tract. de retent. Nec iniquum videtur affirmare, et tunc locum habere retentionem in deposito, si deponens ex eo sibi usurpator stipulauerit, quia ordinarie tunc cessat actio depositi l. 1. §. 8-10. depos. Haec sunt, quae commemo-randumus de deposito extra-judiciali concernenda; contra vero hoc depositum iudiciale tantis in Iure gaudet priuilegiis, vt ne quidem ob debitam publicum magistratus de eo quid detrahere, aut illud retinere possit LEYSER Med. ad ff. 176. ibique L. II. pr. C. depos. L. 14. §. 1. in fin. C. de compens. Nouella 88. c. 1.

Ex his non obscure mihi apparere videtur, quando ex principiis Iuris nostri communis hodierni depositario deposi-



tum retinere liceat. Cum vero omnis regio diuersis utrilibus le-  
gibus, nos vero maximo de eo obseruare, quae in terris no-  
stris Saxoniciis hoc passu sint obseruanda, inprimis, iam bre-  
ter adhuc demonstrandum esse nobis videtur, in quantum  
hanc recte exerceat retentionem depositarius contra deponen-  
tem secundum Leges ac Constitutiones Saxonicas Electorales,  
quae in sequenti tradere mente meditamus.

### §. VI.

*Quando Iure Saxonico Electorali depositario contra deponentem de-  
positum retinere liceat?*

Rem depositam dico restituendam esse *l. II. Cod. depos.*  
**L**lator Saxonius semper existimauit, igiturque regulariter ex-  
ceptis quibusdam summe priuilegiatis casibus depositario con-  
tra deponentem omnem compensationem et retentionem plane  
denegauit, ita vt Iure hodierno Saxonico contra instrumentum  
gurantigionatum, quo depositum continetur, depositen  
*Schein*, exceptiones etiam homogeneae, et eiusdem generis,  
siquidem sint altioris indaginis, non admittuntur, sed seorsim  
reiuiciuntur in iudicium successiu ac reconventionis vid. BERGER.  
*Oec. Iur. Lib. III. T. II. §. 13. not. 4.* Ne tamen depositarius,  
qui gratis in re apud se custodienda beneficium dat, si sum-  
tus in rem depositam fecit seu damnum aliquod ex ea ipsi  
euenit, pro beneficio in deponentem, sorte de insoluenti statu  
seu de fuga suspectum collato, nimis defraudetur, voluit **L**la-  
tor Saxonius, vt eo casu, si sumtus necessarios in rem deposi-  
tam fecisse probare potest, deponens depositario cautionem  
harum impensarum causa et quidem aut per fideiussores aut per  
pignora praestare teneatur. Cum vero deponens hanc cau-  
tionem depositario aut nolit aut non possit praestare, hanc con-  
cessit **L**lator Saxonius facultatem, depositam rem retinendi,  
donec deponens legitimam et sufficientem ipsi praefliterit cau-  
tionem

■ ■ ■

tionem, aut de expensis in depositum factis, damnoque,  
quod ipso ex deposito euenit, satisfactum sit. Quamque sen-  
tentiam in foro nostro Saxonico Electorali in praxi receptam  
esse testatur BERGER. in *Oec. Iur. L. III. Tit. II. §. 13. not. 4.*  
Alium adhuc quemdam casum, quem iam et antea palam feci-  
nus, demonstrat LEYSER in *Med. ad ff. Spec. 176.* quo obueni-  
ente, depositario competit quis retentionis in deposito, si igi-  
tur ex verbis vel factis pacisque adiectis partium contrahen-  
tum colligi potest, voluisse partes, vt deposito pignus tacite  
et euentualiter insit, omnino tale depositum et retentionem  
admitrit, quod, quando factum esse dicatur, in praecedenti  
sectione locupletius enucleauimus. Nulla enim probatione  
egat, omne pignus et ob aliud debitum, quid? quod  
et chirographarium recte retineri, et si debitum principale,  
de quo pignus contractum est, plane extinctum sit LEYSERE  
*Med. ad ff. spec. 175. Def. For. Elect. Sax. Part. II. Conf. XXV.*  
*def. 25. n. 4. def. LEYSER. Oec. Iur. Lib. II. T. V. th. 14.*

Pari modo Leges permittunt sequestro, rem apud se de-  
positam ob debitum domesticum retinere, si sequester mani-  
festus eius dominus est, quod LEYSER in *Med. ad ff. spec. 176.*  
ex praeiudiciis diligentissime probasse videmus et de quibus iam  
antea locupletius actum est, Specialissimae et maxime priuile-  
giatae hae videntur, causae, ob quas Leges in Saxonia deposi-  
tario ius retentionis contra deponentem permittere voluerunt,  
qua propter, cum nec quicquam, quod adhuc de his addere  
liceat, animaduertamus, finem scribendi facie, repetitis ad hu-  
manissimos huius libelli lectores precibus, vt benigne agno-  
cent iuenili aetati errores, quos forte inuenire queant, diligen-  
tioresque expectent labores. si aetas maturior maiores doctri-  
nas colligere patiatur.


—

QK 9e 878

12502309

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt  
urn:nbn:de:gbv:3:1-272067-p0028-3

M.C.



AK. 182.

23 EXERCITATIO IVRIDICA

QVAESTIONEM

*Quando depositario  
competat Ius retentionis  
in deposito?*

CONTINENS

QVAM

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAE SIDE

D. FRID. GOTTLIEB ZOLERO

COD. P. P. ECCLES. CATHEDR. MARTISB. CAPITVL. CVRIA  
IN PROVINCIA SUPREMAE NEC NON FACVLT. IVRID.  
ASSESSES. ET ACADEM. DECEMV.

IN AVDITORIO ICTORVM

D. XXX. SEPTEMB. M D C C L X X V.

AD DISCEPTANDVM PVBLICE PROPONIT  
AVCTOR ET RESPONDENS

FRIDERICVS GVLIELMVS MÜLLER

SCHLEVSINGA - HENNBERG.

LIPSIAE

EX OFFICINA LANGENHEMIA.

